

LVNÆ DIE 13 M. APRILIS A. 2009

Idibus Aprilibus a. MMIX

I 4 9

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451

DE SICARIO GANDAVENSI

EPISTVLA LVDOVICI DE CAMARGO E S.I. INEDITA (1664)

– *quam primum edidit Theodericus Sacré* –

Non quo litteras elegantiores coluerit, verum quia artem mathematicam, in qua valde erat versatus, insigniter auxit, aliquo loco et numero est etiamnunc apud eos, qui scientiarum historiæ operam dant, Ægidius Franciscus de Gottignies e S.I. ¹

Vitam ille introiit Bruxellis anno 1630, natus loco non infimo, siquidem Augustinus de Gottignies, viri pater, magna in rep. auctoritate et prudentia florebat; filius autem celeberrimum adiit gymnasium Bruxellense, quod Societas Iesu anno 1604 considerat quodque regiæ adiacebat; ² mox duos fere annos (1648-1650) doctorum philosophiæ Lovaniensium fuit auditor; magis autem ei arridebat disciplina mathematica, qua tum præstabant sodales Ignatiani; itaque remansit ille quidem Lovanii, at a studiorum universitate devertit ad collegium Societatis Iesu et Academiam mathematicam, cuius erat Andreas Tacquet e S.I. (1612-1660) doctor primarius. Deinde, cum ageret quartum et vicesimum annum, Societatem Iesu ingressus est; solebant autem eius ordinis novicii Flandro-Belgici primum Mechliniæ versari biennium; deinde philosophiæ studiis incumbere, post præceptorum muneribus aliquot annos fungi; tum ad theologiæ studium se conferre quadriennale; denique varia ac diversa obire officia; alii enim præceptores agebant diu, alii concionatores eloquentiæ divinæ operam dabant, alii (ne sim longus) alia obibant munera. Ægidio igitur de Gottignies, cum philosophiæ studiis iam peractis non adulescens, sed fere iuvenis Societati nomen dedisset, e noviciatu egresso imperatum est ut Mechliniæ et Gandavi adulescentes in gymnasiis S.I. erudiret; ac Gandavi cognovit Gregorium a Sancto Vincentio e S.I. (1584-1667), mathematicum minime ignobilem. Anno autem 1659 in Urbem Romam missus est qui theologiæ totus se dederet. Neque Urbem ille quadriennio post reliquit, immo patriam revisit numquam. Nam quæ erat ei numerorum scientia, a præpositis iussus est artem mathematicam in Collegio illo Societatis Iesu Romano publice profiteri; quo munere docendi est functus ab anno 1661 ad annum 1683. Cognovit ibi tum alios, tum Athanasium illum Kircherum (1601/1602-1680) e S.I., virum doctissimum nulla fere scientia, nulla arte non ornatum, eundemque scriptorem uberrimum. Anno 1684 Ægidius de Gottignies Neapolim in regiam est missus, regis ut vicario esset a consiliis in artibus machinalibus, technicis, mathematicis. Cui cum viro ad quadriennium inservivisset, apoplexia gravissima est ictus; inde dimissus Romamque est remissus; ultimum autem obiit diem in Urbe anno 1689 ineunte mense Aprili. Extant complura eius opera algebraica,

geometrica, mathematica, astronomica quæ inde ab anno 1669 apud Italos typis sunt excusa. In his non semel geometriæ Cartesianæ est adversatus. Ceterum moris erat ut qui mathematica in Collegio S.I. Romano doceret, idem præposito S.I. generali responderet de ædificiis Iesuiticis exstruendis; itaque et Gottignies petentibus Superioribus de ædificiorum adumbrationibus et descriptionibus quid sentiret sæpius rettulit.

Epistolarum ad Ægidium de Gottignies missarum pars adhuc servatur in urbe Roma; in his sunt Latine, Italice, Nederlandice exaratae; nam e Belgio fratres germani dederunt conscriptas Nederlandico sermone, qui, etiamsi ex Hannonia erat oriunda familia, tamen patrius eis videtur fuisse. Iesuitæ vero, si Italos excipias, Latine plerumque scripsere. In his erat Iacobus Wallius (1599-1690) poeta præstantissimus; quas vero duas is Romam ad Ægidium dedit (annis 1667 et 1668) alias sum divulgaturus. Nunc enim miras eas litteras velim publicare, quas Iesuita quidam Brugensis ad sodalem Romanum dedit eo fine, ut quid in patria factum esset nuntiaret. Quæ epistula manu scripta atque inedita diligenter custoditur Romæ in Bibliotheca Nationali a Victorio Emmanuele rege eius nominis secundo nuncupata. ³ His ergo litteris denarrata sunt scelera complura, quæ in unam familiam Gandavensem nuperrime edita esse dicebantur; legentibus ea vobis fidem excedere videbuntur fortasse; at ita fere sunt facta, ut exposuit Iesuita. Sic autem habetote, qui epistolam scripserit, nomine Ludovicum de Camargo (1622-1690) ⁴ e S.I., virum fuisse nobilem, natum Brugis, patre Iohanne Baptista barone eodemque capitaneo equitum et urbis Dammæ gubernatore; studia peregrisse apud Iesuitas Brugenses et Gandavenses, ⁵ dein in studiorum universitate Lovaniensi aliquot menses philosophiæ operam dedisse in collegio Liliensi; anno 1638 in Societatem admissum; in qua munera obiisse varia ac diversa, quippe cui rectoratus collegiorum Aldenardiensis (1656-1659), Antverpiensis (1668-1671), Mechliniensis (1671-1675), tum et Domus Professæ Antverpiensis (1684-1687), collegii Lirani (1688-1689), denique et Bruxellensis (1689-1690) obvenerint, qui etiam Superior Missionis Hollandicæ fuerit (1675-1679) necnon Pater Provincialis provinciæ nostræ Flandro-Belgicæ (1679-1684). Cessit naturæ Camargus Bruxellis anno 1690 « paucorum dierum febri vix intermittente ». ⁶ Anno autem 1664, quo hanc ad Ægidium de Gottignies dedit epistolam, in urbe Antverpia degebat ille minister (ni fallimur) domus professæ. Inde ergo quæ a sociis Gandavensibus de scelestissimo siccario quodam compererat perscripsit amico:

Rev[eren]de in Chr[ist]o Pater,

Pax Eiusdem. Gratissimæ mihi acciderunt litteræ P[atris] Ægidii eoque gratiores quo mora diuturnior maiorem iam excitaverat appetitum. Quamquam, ego non litteras sed hominem exspectabam : ita constanter ferebatur ad nos rediturus. Verum potentior est Romani cæli vis retentiva quam nostri attractiva ! Bene habet, dum utrobique æque uni servimus Deo.

Litteras modo repono litteris, historiam historiæ. Gandavi contigit. Civis quidam Gandensis nondum a sesquianno matrimonio iunctus egit Gandavi cum quodam ex iis quos vocant *Maquelærs*,⁷ pro exponendis sescentis aut pluribus libris Flandricis ad reditum. Qui audito tantam pecuniæ summam residere penes hunc hominem, spe illius potiundæ facinus meditari et aggredi cœpit truculentum.

Die Dominica secunda post Pascha sub vesperam convenit illum, deducit in suam domum tamquam aliqua ostensurus, ibi nil tale opinantem improvise adoritur, ferit et mactat. Ex occisi sacco eripit claves domus et arcæ. Cum iis recta pergit ad eius ædes, aperit. Ancilla, herum adesse suspicata, accurrit. Accurrentem invadit et malleo in fronte ictam sternit ut bovem atque occidit. Tum ad culinam. Ibi sedebat coniux cum prole septem mensium in cunis. Matrem iugulat. Proles caput frangit allisum ad parietem. Ita exiguo tempore quattuor animas (vel, ut alii, quinque, quia mater gravida fuisse putatur), integram familiam homo crudeliter avarus obtruncat. Facinore expleto solus in domo lustrat omnia, arcas aperit, effert per otium beneficio noctis sescentas illas libras, monilia et vestes quasdam muliebres, a nemine penitus observatus.

Sed noluit diu latere tam atrox scelus vindex Deus. Postero die homo audax et imperterritus prodit in publicum, quin ipsos occisi calceos parvo vendit cui-dam calceorum reparatori ; tum ad curiam de more. Interea emptor quidam officinam illam frequentare solitus pulsat occisi fores, dum nihil diu pulsando et vociferando proficitur ; denique a parente occisi, qui habitabat in proximo, iubentur effringi fores. Ecce spectaculum ! Inveniunt omnia sanguine conspersa, uxorem, prolem, ancillam occisas. Currunt ad magistratum. Latet auctor. Suspicio cadit in maritum, quia nusquam inveniebatur neque comparebat. Sed cum sciretur non male illi umquam convenisse cum uxore neque eiusmodi furiis umquam agitari solitum, proclamatur facinus tota urbe ingensque præmium statuitur illi qui indicare posset auctorem. Calcei quos sicarius ille vendiderat erant aliquo occisi sanguine conspersi : maculas observarat uxor reparatoris ; timere cœpit ne si eiusmodi

di calcei domi suæ reperirentur, in maritum aut se aliqua suspicio caderet itaque defert illos in curiam. Rogatur an noverit hominem qui vendiderat ; negat, sed se, si videret, facile agnituram. Iubetur mutare vestem ; qua mutata ibat e curia cum satellitibus ad varios qui alicui suspicioni obnoxii esse possent deducenda. Dum transit per anteriorem aulam curiæ, in conferta multitudine quæ accurrerat observat suum hominem et « Ecce », ait, « ibi est ! » Negat homo. Perstat mulier instatque ut capiatur. Uterque deducitur ad diversum cubiculum. Ibi mulier « Dedi », inquit, « illi talem speciem pecuniæ. Lustrate saccos : eadem fortassis adhuc reperietur. » Inventa est præcise ut dixerat ; et insuper monile coniugis occisæ. Confirmata iam suspicione pergunt ad ædes sicarii : ibi apud matrem vetulam vestes occisæ et denique etiam cadaver mariti inventur. Sicarius cum matre in vincula coniectus. Exspectamus modum supplicii ; de quo cum posta sequenti.

Funus totius familiæ simul elatum est. Præcedebant simul eodem in ordine in gemino feretro coniugum cadavera. Pone sequebatur cadaver prolis, tum ancillæ. Spectaculum tam triste non vidit Gandavum, fortassis nec Roma. Atque utinam deinceps non videat umquam orbis !

In circumstantiis (quia aliqui nonnihil variant) siquid non recte relatam sit, monebo deinde.

Interim me commendo s[anctis] R[everentiæ] V[est]ræ sacrificiis.

Antv[erpiæ] 2 Maii 1664

Cum cordatiss[ima] salute omne obsequium Humill[im]e adscribo R[everendo] P[at]ri Assistenti⁸ R[everentiæ] V[est]ræ servus addictiss[imus] in Chr[ist]o Ludovicus de Camargo

(*inscriptio*) Reverendo Patri in Chr[ist]o P[at]ri Ægidio de Gottignies Soc[ieta]tis IESV Romæ

Cum eas litteras in bibliotheca Romana casu invenissem, desperavi fore ut alios reperirem fontes unde de scelere illo multiplice eodemque atrocissimo plura haurirem. Nam, etiamsi occisio quadruplex sæculo decimo septimo minime cottidiana fuisse mihi videbatur, quemnam librum historicum rei quamvis famosæ, privatæ tamen mentionem fecisse arbitrarer ? Quosnam libros excuterem, cui ne nomina quidem vel occisoris vel occisæ familiæ constarent ? Itaque cupiebam

cognoscere primum quæ essent tum sicario, tum eis qui interfecti essent nomina gentilicia, deinde quatenus rebus ipsis responderet relatio criminis, quam fando alicunde accepisset Ludovicus de Camargo, denique quas ille homicida dedisset pœnas. De re enim denuo se litteras ad Ægidium de Gottignies esse datum sponderat Ludovicus de Camargo, sive exitum causæ comperisset, sive, fama cum rebus ipsis comparata, parum vere sibi visus esset exposuisse quomodo res essent gestæ. Id erat autem manifestum, litterarum quas inter sese dederant Iesuitæ, tantum particulam quandam ad hunc diem esse servatam; extant enim omnino duæ epistolæ a Ludovico de Camargo ad Ægidium de Gottignies missæ: unam hic publici fecimus iuris, altera, quæ in eadem bibliotheca servatur adhuc inedita quamque mense Septembri anni 1675 Bruxellis Romam ad sodalem miserat ille, cum hac re omnino non est coniuncta. Quid multa? Litteras has iam eram depositurus et oblivioni traditurus, minoris esse momenti arbitratus quam ut in eis diu immorarer, cum unam alteramve horam inquisitioni satis tumultuariæ dare statui. Necopinanti subvenit fortuna. Nam continuo incidi in commentationes duas doctas quas eadem de re divulgaverant viri historiæ patriæ amantes, qui epistolæ huius Latinæ ignari, alia documenta de sicario invenerant.⁹ Ex his didici homini omnium sceleratissimo Adriano de Jode fuisse nomen; civem fuisse Gandavensem in parochia Sancti Nicolai habitantem; cum scelera ista impientissima perpetraret annos natum fuisse tres supra aut quadraginta aut quinquaginta (illud defendebat Ossieur, hoc Van Istendæl); iam viduum fuisse ac quattuor liberum patrem; obscuro loco natum munera aliqua publica obivisse Ipris antequam in patriam Gandavensem revertisset. Ceterum conferenti mihi ea documenta cum relatione Latina a vero vix deerrasse, si pauca excipias, videtur Ludovicus de Camargo.

Anno igitur 1664 die vicesimo septimo mensis Aprilis, qui fuit dies Dominicus, hora circiter nona matutina, cum sacrificium missæ celebraretur, Adrianus de Jode, vir improbus, Martinum van der Brugghe vestificem adiit; quem mendacio quodam usus domum suam devocavit: siquidem ibi opperiri virum nescio quem affirmavit qui vestimenta nova sibi confici vellet. Nihil mali suspicans virum eo comitatus est Adrianus. Cum in culinam esset ventum, vestifex subito ictu mallei deiectus iamque cultro est trucidatus. Corpus in cella aliqua absconditum. Clave abrepta Adrianus de Jode domo exiit, ædes occisi petivit, opinatus uxore absente atque ecclesiam visitante neminem fore testem si furtum fieret. At contra evenit: nam

etsi aberat uxor, tamen intus aderat non solum ancilla, nomine Christina de Scheppere, sed etiam infans semestris, vestiarii filiulus nomine Elias. Neutri pepercit hominis insania; uterque iugulatus amboque corpora abdita. Deinde vestiarii uxorem (cui Livinæ nomen) ex æde sacra reducem trucidavit interfectorem; trucidatam linteo operuit. Tum demum ei ædes artificis penitus perscrutari licuit; itaque per octo fere horas tota fere domus perquisita, si quos thesauros haberet; vasa omnia, omnis supellex sursum deorsum iactata atque excussa; gemmæ et annuli reperti necnon arca numeraria; omnia pretiosa abrepta, uxor etiam mortua annulo pronubo spoliata. Hora fere octava vespertina domum se abripuit sicarius. Qui crastino die eo processit vesaniæ, ut cum sanguinolentos viri occisi calceos parvo venderet sutoris cuiusdam uxori, tum vestium novarum partes haud paucas sibi emeret, item carnis victusque copiam. Hinc facilius deprehensus est; nam cum eodem die domi vestificis reperta essent tria corpora resque palam esset facta, sutoris illius uxor, calceorum venumdatorum non immemor, hominem, quem coram viderat, digito monstrare valuit; qui cum esset arreptus, paulisper negavit ille quidem se talia commisisse; at postquam in ipsa eius domo corpus vestificis est offensum, nulla omnino evadendi patebat via. Itaque una dies necis quattuor vidit, postera percussorem deprehensum.

Vulgus autem Gandavense atrocissimis eis facinoribus tantopere commovebatur, ut mox cantilena quædam popularis sit exorta quæ crudelitatem monstri dicam an hominis incusaret, necum seriem inauditam persequeretur, exprimeretque commiserationem populi erga familiam quæ violentiam eam cæcam atque effrenatam erat perpessa. Canebantur inter alia hæc:

Op eenen sondagh van den jære
Seshondert sestigh ende vier
Wanner men het volck sagh vergaren
Om bidden voor het oorloghsvier
Is hij sich in een huys ghetreden
Dær hij vier menschen brocht om tleven. (...)

O ongehoorde helsche stucken
Bij menschen leven noyt gehoort!
Hoe kont ghij soo den menschen bedrucken
Op een kleyn kindt te sijn gestoort
Dat ghy met smyten van den hamer
Wierpt teghen de mueren van de kamers!

Fortasse quid factum sit homini in vincula coniecto quæritis. Exitum rei docent libri quidam manu scripti

qui adhuc extant ; e quibus patet sicarium sexto die postquam vinculis est mandatus, in iudicium esse productum. Nam postridie Kalendas Maias sive ipso die quo Ludovicus de Camargo rem socio Romano per litteras narravit, apud iudicem acta est res. Ibi homo confessus est se undecim annis ante homines duos eodem fere modo interfecisse, quo familiam paulo ante trucidasset ; cædium utrarumque illud fuisse in causa, quod paupertate misere opprimeretur vixque familiam sustentare posset. Nil ergo mirum si eodem die capitis est damnatus. Atque crudele admodum supplicium est sumptum de homine crudelissimo. Etenim malleus ferreus et culter, instrumenta illa necum, morituro column sunt circumdata ; ipse devinctus et storeæ impositus pertrahebatur in forum quod erat in meditullio urbis Gandavensis ; ibi spectante populo nudus cruci est affixus et forcipibus ardentibus sexiens est inustus ; tum semivivus rogo est impositus donec est secuta mors. Neque corpori defuncti parcebatur, quippe quod patibulo et rotæ sit impositum. Quid vero proli quadruplici inde acciderit, prorsus ignoramus. ❀



www.archives.cg31.fr/service_educatif/expositions/justice/

1. Cfr. *Biographie nationale (...) de Belgique*, 8 (Bruxellis, 1884), coll. 154-156 (auctore A. Siret) ; *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastiques*, 21 (Parisiis, 1986), coll. 921-924 (auctore R. Mols) ; *Diccionario histórico de la Compañía de Jesús. Biográfico-temático*, 2 (Romæ-Matriti, 2001), pp. 1789-1790 (auctore S. Bedini) ; W. Audenaert, *Prosopographia Iesuitica Belgica antiqua (PIBA). A Biographical Dictionary of the Jesuits in the Low Countries*, 1 (Lovanii-Heverleæ, 2000), p. 392 ; H. Bosmans, « La 'Logistique' de Gilles-François de Gottignies de la Compagnie de Jésus », *Revue des questions scientifiques*, 41ème s., 13 (1928), 215-244 ; præ ceteris L. de Wreede, *Gilles-François de Gottignies (1630-1689), jésuite en geleeerde* (diss. inedita Lugdunensis, 1999).
2. Ea tempestate in eo collegio vivebant Latinitatis auctores non ignobiles, veluti Adrianus Van Torre (professor poetices), Otho Zylilus (bibliothecarius), Gulielmus Hesius (præfectus sodalitatibus cuiusdam). Ægidius ipse de Gottignies, cum esset ultimæ classis alumnus, emblema quoddam de concordia condidit, quod in gymnasio publice affixum atque exhibitum est : cfr. K. Porteman, *Emblematic Exhibitions at the Brussels Jesuit College (1630-1685). A Study of the Commemorative Manuscripts* (Royal Library, Brussels) (Bruxellis-Turnholti, 1996), p. 109. Nisi fallimur, Gottignies gymnasium Bruxellense reliquit die 17 m. Septembris anni 1648, quo die in scænâ ibi est producta tragœdia cui titulus *Godefridus Bullonius Lotbaringæ dux, terræ sanctæ assertor, Hierosolymæ expugnator et rex*. Sub finem eiusdem mensis Bruxellas in gymnasium advenere Iacobus Wallius et Sidronius Hosschius, præstantissimi poetæ Latini.
3. Biblioteca Nazionale Centrale Vittorio Emanuele II, Autografi, A. 32/51, 1.
4. Cfr. Audenaert, *Prosopographia*, 1, p. 185 et passim.
5. Ita testatur Elogium Bruxellense (Brux., Bib. Reg., cod. 6487, p. 555). Ipse vero Camargus Societatem Iesu ingressus scripsit studuisse « se primum Brugis, dein Antverpiæ humanioribus apud Patres Societatis Iesu » (ita habet album noviciorum, quod Heverleæ in agro Lovaniensi adservatur).
6. Ita rettulit Petrus D'Hooghe S.I. Patri Liberto De Pape eiusdem Societatis (Bruxellis, die 18 m. Martii a. 1690) : Brux., Bib. Reg., cod. 6487, p. 553. Plura de Camargi laudibus leguntur ibidem, pp. 553-558. Ipse vero Camargus haud paucas 'litteras mortuales' scripsit ut aliorum collegiorum rectores de mortibus Iesuitarum quorundam (veluti Adriani Poirteris poetæ) faceret certiores ; etiam paucis ante obitum diebus eiusmodi epistolam ipse manu firma exaravit, qui rectori Lovaniensi significaret Patrem Gulielmum Hesium, architectum et poetam Latinum, e vita excessisse (Bruxellis die quarto mensis Maii anni 1690 : Brux., Bib. Reg., cod. 6492, f. 143r).
7. Significat interdum 'mercatores' (teste *Woordenboek der Nederlandsche Taal*, 9 (Hagæ Comitum, etc., 1913), s.v.).
8. Qui erat inde ab anno 1661 Carolus de Noyelle (1616-1686) Belga Bruxellensis ; idem anno 1682 evasit Præpositus generalis S.I.
9. H. Van Istendael, « Een nieu liedt van de moordadighe feyten gecommiteert door Adriaen de Jode binnen de stede van Gendt », *Gbedtsche Tijdinghen*, 7 (1978), 127-132 ; E. Ossieur, « Het memorieboek van pastoor Roger Nottingham van de Gentse Sint-Niklaasparochie (1657-1690) (II) », *ibid.*, 32 (2003), 206-230.

DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (II)

QVINTO SÆCVLO CLADES FERE TOTA

– scripsit Gaius Licoppe –

Theodosius I, qui mense Ianuario anni 395 moritur, duos filios habet, quibus imperium tradit, non quod imperium in duas partes dividere velit, sed quia consuetudinem a tetrarchia institutam sequitur; tantum est divisio administrativa unius imperii, cuius ratio, leges et defensio manent communes. Arcadius, 18 annos natus, parti orientali præerit et Honorius, 11 annos natus, parti occidentali. Cum Honorius nimis iuvenis sit, ei tutor datur Stilicho, vir peritus belli.

Ut supra vidimus, Theodosio I imperatore, Romanus exercitus magis magisque constat ex barbaris variæ originis, veris Romanis odiosis. Plures quoque fiunt barbari militum duces. Flavius Stilicho est mixticius; eius enim pater est Vandalus, sed mater Romana ex Pannonia orta. Uxorem duxit Serenam, Theodosii I neptem, et factus est civis Romanus. Cum nunc totam potestatem habeat, Honorio, 14 annos nato, in matrimonium dat filiam suam Mariam, uno anno natu minorem. Matrimonium tamen nondum est consumptum cum Maria 22 tantum annos nata de vita decedit. Paulo post Stilicho alteram filiam Thermantiam Honorio dat in matrimonium.

Stilicho non solum hoc modo propior fit Honorio, sed partem orientalem imperii etiam conatur regere. Constantinopoli Flavius Rufinus, præfectus prætorio, origine Gallus, regiminis habenas tenet atque traditæ religionis cultores hæreticosque christianos diligenter persequitur. At iam ipso Theodosii I mortis anno de medio tollitur; mercenarii enim Gothi, quorum dux

est Gainas, eum trucidant, instigante Stilichone. Novus præpotens Arcadii consiliarius est libertus Eutropius, qui primus omnium eunuchorum factus est consul. Is efficit ut Arcadius Æliam Eudoxiam, filiam Franci militum ducis Bauto, uxorem ducat. At depravati Eutropii gubernatio displicet et populo et Stilichoni, qui eum coniurationis insimulat; Arcadius cogitur eum in exsilium mittere, ubi paulo post trucidatur.

Gainas, potentiæ magis magisque cupidus, anno 399 magister utriusque militiæ nominatur; paulo post Constantinopolin intrat cum Gothis armatis. Hæc tamen occupatio non est diuturna: Gothi ariani odio sunt plebi Constantinopolitanæ, quæ, instigantibus imperatrice Eudoxia et patriarcha Iohanne Chrysostomo, eos medio anno 400 trucidat; Gainas fugit et paulo post interficitur. Victa factione eorum qui Gothis favent, omnis Stilichonis auctoritas Constantinopoli tollitur; Arcadius autem tantum gaudet, ut in foro suo erigendam curet columnam, quæ vocatur Columna Gothorum.

Statim post Theodosii I mortem incohantur difficultates cum barbaris. Visigothus Alaricus, qui a Theodosio I factus erat dux fœderatorum militum, ægre fert sibi magnum munus militare non esse datum; quare, a Visigothis suis rex factus, irrumpit in Thraciam, Macedoniam et Peloponnesum, ubi annis 395-396 oppida diripit eorumque incolas ut servos vendit. Stilicho, etsi tantum Occidentalis imperii partis magister militum est, in Orientem accurrit, Alaricum vincit, Arcadio suadet ut eum Illyriæ præfectum nominet. Itaque imperii defensio una manet.

Alaricus autem non diu manet tranquillus. Anno 401 in Italiam irrumpit Mediolanumque, ubi versatur Honorius, obsidet. Stilicho eum iterum repellit atque anno 402 vincit Pollentiæ, deinde Veronæ. Res mira, Stilicho Alarici exercitum non exterminat, sed anno 403 sinit in Illyriam redire. Tota tamen Italia et ipsa Roma tremuit propter hanc Alarici incursionem; Stilicho Honorii sedem transfert Ravennam, quæ paludibus cincta vix expugnari potest.

Italiæ divitiæ non desinunt barbaros allicere. Ostrogothus Radagaisus cum exercitu ex Gothis, Vandalis, Alamanis et Alanis constante Danuvium transit, nemine obstante, atque in Italiam septentrionalem anno 406 irruptionem facit. Secum ducit non solum ducenta circiter milia bellatorum, sed etiam ingentem turbam eorum familiarium. Mediam Italiam statim petit, sed Stilicho eum prope Florentiam continet et deinde Fæsulis profligat; exercitus, Radagaisus ipse et totus grex sive exterminatur sive fame perit, præter Gothos, qui in Pannoniam se recipiunt. Iterum



Arcadius (Constantinopoli in museo archæologico).

ingens fuit pavor in Italia et Romæ.

Notandum est Stilichonem Gothis etiam a se victis semper pepercisse. Hac de causa crescit in aula Honorii pondus Romanorum factionis, cui suspicioni et odio est Stilicho. His accedit quod idem impedire non valuit ne innumerabiles barbarorum catervæ exeunte mense Decembri a. 406 Rhenum cum familiis transirent et in Galliam invaderent.

Ineunte anno 408 Alaricus a Romanis petit quatuor milia librarum auri (quæ summa tantum est annuus reditus unius familiæ senatoriæ). Honorius, qui tunc Romæ paulisper versatur, senatum convocat, qui contra Stilichonis consilium negat quicquam solve. Ravennam reversus Honorius Stilichonem convocat ; eum æstate anni 408 a sicariis interficiendum curat.

Odium nobilium Romanorum in Stilichonem plane percipitur in Rutilii Namatiani carmine *De reditu suo* ; qui vir, origine Gallus, optimum cursum honorum Romæ habuit, imperante Honorio, quamquam fidelis erat traditæ religioni ; anno 414 fuit præfectus Urbis. In carmine scribit hæc :

Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum
Proditor arcani quod fuit imperii. (II, 41-42)

Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat
Et captiva prius quam caperetur erat. (II, 49-50)

Hi versus sunt exemplum antiquum huius odii in extraneos, quod nunc vocamus « rasismus » sive « odium phyleticum » ; hæc verba eo magis miranda sunt, quod non a vero Romano prolata sunt, sed a Gallo, cuius tamen stirps iam diu est Romana facta.

Multa de Stilichone narravi, quia optimum exemplum præbet pacificæ mixturæ Romanorum barbarorumque, ut erat Theodosii I consilium politicum. Interfecto Stilichone, repudiata Thermania eius filia, interfecto quoque eius filio Eucherio, evanuit Theodosii I conamen. Inde barbari iam nihil respexerunt et Romani magis magisque debiles impedire non potuerunt ne omnino corrueret imperium in Occidente.

Stilichone vix interfectus est, cum Alaricus in Italiam revertitur Ravennamque obsidet, frustra tamen. Inde exercitum Romam ducit. Mœnia Romana refecta sunt annis 402-403, post primam Alarici in Italiam incursionem, sed, cum deesset validum præsidium, ipsi incolæ se exercuerunt ad armorum usum. Alaricus, portu imprimis potitus, impedit ne frumentum Africanum in Urbem portetur atque ab Honorio petit fœdus, agros et præfecturam militarem. Negante

Honorio, fame in Urbe sæviante, senatores Romani ad Alaricum mittunt 5.000 librarum auri, 3.000 librarum argenti, 4.000 sericorum, 3.000 pellium coccinearum, 3.000 librarum piperis ; tunc demum ille sinit frumentum e portu in Urbem afferri, sed solum per tres dies. Multi servi hac occasione confugiunt ad obsidentes. Honorius sex milia militum Dalmatarum mittit, qui fugantur.

Ineunte anno 409 legatio ad Honorium mittitur, quam comitatur papa Innocens I, at frustra. Romani obsidionem sustinent usque medium annum 410, tunc intolerabili fame extenuati coguntur Alarici exercitum intra mœnia recipere. Urbs a die 24 in diem 27 m. Augusti diripitur. Fiunt incendia, neces, raptus. Asylum tamen basilicæ Sancti Petri respicitur ; vasa sacra non tanguntur. Alaricus Roma discedit cum magna præda et obsidibus, inter quos numeratur ipsa Honorii soror, Galla Placidia.

Maximam animorum perturbationem in totum orbem Romanum inducit hæc clades : Urbs octo sæcula inviolata nunc capta et direpta ! Hieronymus in Palæstina maximam vim lacrimarum profundit. Rutilius Namatianus canit hæc :

Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis ;
Consumat Stygias tristior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille ;
Hic mundi matrem, perculit ille suam. (II, 57-60)

Roma capta, multi cives de ipsius imperii perennitate dubitare incipiunt, inter quos Augustinus, episcopus Hipponensis, qui ab anno 410 ad annum 423 magnum opus suum, c.t. *Civitas Dei*, conscribit, ubi demonstrare vult christianismum a vita imperii Romani omnino non pendere.

Dum hæc in Italia accidunt, Arcadius una cum patriarcha Iohanne Chrysostomo vehementer persequitur eos, qui traditam religionem reiicere nolunt, multaque templa delet ; ipse arianis infestus est, sed eius uxor Ælia Eudoxia eis favet, quæ Iohannem Chrysostomum bis valet in exilium mittere.

Anno 402 Arcadius filium suum Theodosium, nondum unum annum natum, facit Augustum. Cum mense Maio anni 408, tantum 41 annos natus, moritur, Stilicho, iam diu in Oriente imperandi cupidus, conatur Honorio suadere, ut fratri suo Constantinopoli succedat. Honorius tamen negat et paulo post Stilichonem curat interficiendum.

Theodosius II, septem annos natus, ipse nondum regnare potest. At etiam postquam adolevit, de regnando vix curat ; Pulcheria præsertim, eius soror maior

natu, habenas tenet ; ipse autem, magis ad litteras colendas pronus, cognominatur « calligraphus ». Uxorem ducit Athenaidem, quæ post conversionem ad christianismum nomen cepit Celiæ Eudoxiæ, idem ac Arcadii uxoris ; de regimine cum Pulcheria contendit.

Theodosii II regnum tamen non est parvi momenti. Res mira, illis temporibus periculorum plenis florent negotia Constantinopolitana ; ærarium abundat. Hac pecunia Theodosius II ab anno 413 utitur ad firmissima mœnia septem chiliometra longa ultra Constantini murum exstruenda, quibus Constantinopolis valde dilatatur et per integrum millennium firmiter protegetur.

Multo enim efficacius defendi potest Constantinopolis quam Roma. Nam, obsessa Roma, frumentum e Portu in urbem importari non iam potest ; sufficit etiam aquæductus delere ut aqua urbi intercludatur. Contra Constantinopolis non solum ipsa est portus, sed etiam agros habet intra novos muros ; præterea aqua orbari non potest, cum multæ ingentesque cisternæ in urbe exstructæ sint.

Ineunte Theodosii II regno, Visigothis in Occidentem vix profectis, Hunni anno 408 Danuvium transeunt et Thraciam vastant ; tributum eis solvendum est. Hunni tamen unum regnum nondum constituerunt atque ut mercenarii a quocumque adhibentur. Romanorum arma magis gloriosa sunt in Asia, ubi Persæ Sassanidæ annis 421 et 441 vincuntur.

Aliud magnum Theodosii II meritum in eo est, quod conficiendum curavit Codicem Theodosianum vocatum, in quo collectæ sunt omnes imperiales constitutiones ab anno 312 datæ. Opus anno 438 in lucem editur. Notandum est ibi primum novum sensum officialiter dari vocabulo « pagani ». Hoc enim vocabulo antea designabantur ei, qui diversimode non participabant, exempli gratia ei, qui armis non pugnant, militibus comparati ; in codice « pagani » vocantur ei, qui non sunt christiani, et hac de causa munere publico fungi non possunt.

Pax autem religiosa tempore Theodosii II nondum est instituta. Nam in Oriente doctrina Nicænsis adhuc suscitatur interrogationes et interpretationes. In conciliis œcumenicis quarti sæculi tractabatur unitas Dei et Trinitas ; quinto sæculo agitur de natura Christi. In schola theologica Antiochensi Christi natura humana putatur a divina omnino separari.

Nestorius, in Euphratæa Syria anno 386 natus, litteras Græcas Germanicæ discit, deinde Antiochiam petit, ubi imbuitur doctrina scholæ theologice Antiochensis. Sacerdos ordinatus, vitam monachalem eligit et famam optimi oratoris acquirit. Quare imperator Theodosius II eum anno 428 Constantinopolin



Virgo θεοτόκος (Constantinopoli in ecclesia Sanctæ Sophiæ).

accessit et patriarcham nominat.

Nestorius thesin scholæ Antiochensis ad extremum ducit ; docet enim Iesum tantum esse hominem Deum factum. Respuit ergo nomen θεοτόκος (« quæ Deum peperit »), quo plebs Mariam vocare solet ; ei videtur fieri non posse, ut mortalis Deum gignat, quare suadet ut vocetur Χριστοτόκος (« quæ Christum peperit »).

Alexandriæ autem anno 412 Cyrillus, amplissima e familia ortus, ab optimatibus imponitur, qui avunculo Theophilo succedat ; etsi iuvenis, statim fit episcopus et Alexandriæ patriarcha. Hæc ecclesia est sui iuris ; dominatio et orthodoxia eius paparum (inde Romam venit vocabulum « papa ») numquam negata est.

Cyrillus, imperfecte eruditus, philosophos contemnit, qui, ut ait, pugnantia loquuntur et a Moise rapuerunt id quod boni habent in suis doctrinis. Secundum scholam theologiam Alexandrinam, in medio omnium est Christus, Divinus Logos, i.e. Deus ipse. Si Christus solum homo fuisset, homines servare non potuisset. Sua incarnatione humanam naturam cum Divinitate copulavit eamque divinam fecit. Iesu Christo solum naturam humanam tribuere Cyrillo videtur esse summa impietas : solus Dei filius incarnatus hominum Redemptionis est actor. Contra, thesis, qua deformatur vel minuitur Iesu persona humana, ei non videtur periculosa. Inde schola theologica Alexandrina ad monophysism inclinatur.

Cyrillus tyrannice et fanaticè se gerit. Iubet Iudæos

et hæreticos ex urbe pelli. Ab eius clericis Hypatia, mathematica philosophaque neoplatonica, bestialiter trucidatur. Clerum vero Ægyptiacum tam severe regit, ut anno 428 grex monachorum Ægyptiorum Constantinopolin petat, apud patriarcham Nestorium papæ Alexandrini tyrannidem querentes. Cyrillus, quamquam hos monachos « Alexandriæ immunditias » vocat, statim percipit rem esse gravem. Nam patriarcha Nestorius impavidus est atque firmum exemplum spiritualitatis bonorumque morum præbet.

Cyrillus, inquisitionem suo patriarchatui imminentem timens, statuit in Nestorium invehere de re theologica. Cum sciat titulum θεοτόκος (Deipara) populo maxime cordi esse, decernit hunc titulum esse insigne veræ fidei christianæ. Anno 430 ad Nestorium mittit famosa « duodecim anathemata », quorum in primo Sancta Virgo affirmatur Mater dei esse, quia Verbum Dei carnaliter gessit.

Hoc est initium iniqui certaminis inter Nestorium probum, sed sensu politico omnino carentem, et pecuniosum Cyrillum, qui per suos legatos Constantinopoli versantes omnibus modis, etiam calumnia et donis, Nestorium infirmat. Insuper Theodosius II, quamquam Nestorio favet, Cyrillum tamen timet, quia is totam etiam classem regit, quo Ægyptiacum frumentum Constantinopoli transportatur. Cælestinum I, papam Romanum, Cyrillus circumvenit; eius legati tam deformatam Nestorii thesin christologicam papæ exhibent, ut eam statim habeat ut « manifestum blasphemata ». Nestorius Cælestinum I non magni æstimat, de quo dicit « eum esse nimis simplicem quam ut intellegere valeat subtilem significationem doctrinæ veritatum »; ad eum ergo epistolam mittit, dicens se non autumare « duos Dei filios » esse. Magis tamen efficax est Cyrillus, cui papa mandat ut rem suo loco diligenter tractet.

Statutum est concilium œcumenicum in annum 431 convocare; episcopi totius orbis Romani ad participandum invitantur epistula, cui subscribunt duo imperatores, orientalis scilicet Theodosius II et occidentalis Valentinianus III.

Apud imperatorem Theodosium II eiusque omnipotentem sororem Pulcheriam, Cyrillus non statim succedit. Tamen per aulæ eunuchos aliosque consiliarios, quos auro sibi allexit, conceditur ut in concilio Ephesi anno 431 habendo solum de rebus theologis tractetur; itaque nihil innotescet de rebus Alexandriæ ab eo improbe gestis.

Concilium Ephesium, tertium concilium œcumenicum, mirum in modum agitur. Conveniendum est tempore Pentecostes. Primus adest Cyrillus cum quinquaginta Ægyptiis episcopis. In mora sunt legati papæ Cælestini I atque episcopi Itali et Orientales; Africani nimis sero convocati sunt. Ad res ordinandas Theodosius II comitem Candidianum misit, qui concilium inaugurare non vult, antequam omnes advenerint. Cyrillus vero, duabus exactis septimanis, diutius expectare non vult atque, favente Memnone Ephesi episcopo, concilium ipse inaugurat. Nestorius, qui Ephesi adest, ter convocatus, cœtum adire non vult, quem non agnoscit ut verum concilium. Tunc Cyrilli cœtus, quem participant 198 episcopi, Nestorium condemnat, maxima cum plebis iubilatione.

Paulo post tandem adveniunt episcopi orientales, duce Iohanne Antiochensi, qui Nestorio favet. Is conciliabulum statim facit separatim et una cum comite Candidiano inquit in eos, qui ausi sunt sine comitis licentia concilium incohare; Cyrillus et Memno deponuntur. Quæ cum ita sint, Theodosius II imprimis iubet Nestorium et Cyrillum in concordiam redire, sed frustra; tunc ambo deponuntur et in exilium mittuntur. Cyrilli tamen operæ in aula Constantinopolitana tam efficaces sunt, ut non solum ei liceat ex exilio reverti, sed etiam septemdecim episcopi Nestorio faventes de sede sua removeantur.

Rebus sibi magis magisque improspere factis, Iohannes Antiochensis cogitur Nestorium relinquere, qui exsul in Ægyptum missus, in quodam monasterio reliquam vitam agit. De quo contentus, Cyrillus paratus est nonnulla Iohanni concedere; anno 433 ambo subscribunt Symbolo Ephesi, quo inclinationes Alexandrinæ et Antiochenses conveniunt: in persona Christi oportet duas naturas distinguere, divinam et humanam, atque earum iunctionem considerare sine confusione. Hoc Symbolum hodie accipitur ab orthodoxis, catholicis et protestantibus.

Cyrillus, ultimus præstantiorum patrum ecclesiæ Græcæ, novam ætatem inaugurat, ubi grex cogitat id quod suo domino placet.¹ ❧

1. Supra scriptas notiones præcipue sumpsit ex his operibus:

H. von Campenhausen, *Les Pères grecs*, Paris, Éd. de l'Orante, 1963.

Peter Garnsey et Caroline Humfress, *L'évolution du monde dans l'antiquité tardive*, Paris, La Découverte, 2004.

Bertrand Lançon, *Rome dans l'Antiquité tardive*, Paris, Hachette, 1995.

PERIPEDEMI PERIEGESIS

PER TERRAS SOMNIANTIVM ET VIGILANTIVM (III)

– scripsit Bradlius Walton –

IV. UDENIÆ

Metuens Udeniam intravi. Ædificia præruptis Minhærentia declivibus pendebant super fauces tam altas, ut fundi tenebris obcæcati essent. Tota urbs crassa involvebatur caligine. Plurima domicilia neglecta, plurima sarta. Ubique muri placitis et imaginibus picti sunt satiricis, plerisque summa arte confectis. Vultu ambulabant senes tristi, viri anxio, iuvenes alii tam misero quam senes, tam sollicito quam viri, alii satis hilari et vivo. Ubique conspexi popinas colloquentibus refertas, sæpe quidem ridentibus, sed risu acerbo; ubique bibliopolia, theatra, pinacothecas quamvis non nimium magnificas. Tot indicia cultus eruditi mihi arriserunt. Attamen, non solum musæ Udeniæ florebant, sed etiam Pluto et Proserpina. Ubique enim conspexi cœmeteria, quorum in omnibus aliquot exequiæ peragebantur.

Intravi pinacothecam satis amplam. Magnum admiratus sum numerum tabularum, quas tamen animadverti cunctas similibus instructas argumentis præstare imagines anxietatis, desperationis, fœditatis, perturbationis, derisionis. Pictos enim aspexi clamantes flentesque perterritos, manes vicos desertos errantes, corpora humana divulsa vel distorta, perturbatas colorum informitates, ridiculas aut turpes imaginum antiquarum parodias. Plerisque tamen tabulis, quamlibet tristibus, neque arte mediocri confectis, neque omni pulchritudine carentibus, quædam fuit vis animam reficiens.

Erravi in aulam qua plurimi viri mulieresque lautissime vestiti circumstabant tabulas intuentes, inter se colloquentes, vinum bibentes. Quidam iuvenis pictor iam primum opera sua ostendebat. Depinxerat eas, quæ Udeniæ inhiabant, tenebricosas fauces et speluncas, earumque veritatem tam perite imitatus est, ut tabulæ eosdem mihi excitarent affectus, quos primo earum conspectu senseram.

Arguta iuvenes ululatus voce dracones
mittunt, et gemitus atra vorago refert.
Rupibus orta parit fœtentes squama procellas
explentes piceis ima barathra fretis.
Lumina mira micant. Sectantur ferra cruorem.
Nondum vasta satis sorbuit ingluvies.
Cautibus implacidæ dentes acuere colubræ
in nebulisque fremunt desilientis aquæ.

Ad me tabulis ita defixum iuvenis nondum annum ætatis tricesimum ingressus, secundum consuetudinem novissimam ornatus, salutans accessit et « Te video, »

inquit « tabulis capi. Esne amicus artificis? » « Non sum » inquam. « In exhibitionem forte incurri. » « Laudo tuum nova videndi studium. » « Esne » inquam, « pictor? » « Minime. Poeta sum, Iohannes Cinereus nomine. Amicissimus autem sum illi, cuius tabulas inspiciamus. Te tamen numquam antea vidi. Esne Udeniensis? » « Huc modo » inquam « ex Physicia perveni. » « Cur inde discessisti? » « Philosophiæ, » inquam « quam cives illic profitentur, diffidebam. Nam Physienses, viri superbia cognitionis naturalis inflati, gravissimis adhærent sententiis, quæ placitis potissimis repugnant, neque eis vel acies vel animus suppetit, ut ea, quæ ipsorum præceptis subsunt, quæque opinionibus obsistunt dilectis, agnoscant. » « Verum dicis, » inquit. « Fidem cognitionis, libertatem arbitrii, fundamenta pretii moralis, etiamsi Physienses dogmatibus negant, tamen et verbis et factis affirmant. Plurimi, cum hanc fallaciam perspexerint, Udeniam se recipiunt, quo patentius ea sentiant, quæ Physiciæ abscondite sentiebant, id est, nihil sciri posse, neminem sua sponte agere, nulla pretia moralia esse vera atque absoluta. Ne multa dicam, nihil neque ullius momenti esse, nec vim habere nec quicquam significare. »

« Ne verba quidem, » rogavi, « vim habent? » « Hem, » inquit Cinereus, « cum verba respondeant eis, quæ cognosci nequeunt, utrum sint necne, nec, si sunt, qualia re vera sint, puto ne verba quidem quicquam significare. » Ego dubitans, utrum serius an per iocum hæc dixerit, « oportet » inquam, « difficile sit poetæ existimanti, nihil, nec vocabula ipsa, vim habere, carmina componere. » « Ego quidem semper hanc difficultatem eluctor. nequeo ex bona fide res veras cogitatione fingere. Immo, simul atque aliquid animo concepi, aliud concipere possum, et cum ea, quæ animo fingi, in singula temporis momenta intereant, quadam amara vacuitate afficior. Nam ea, quæ re vera sunt, aut sibi repugnant, aut cognosci nequeunt. Quæ cum ita sint, species litterariæ sunt fallaces. Sed ille poeta, cuius carmina rebus ita respondent, ut omni forma, specie, significatione definita carentia nullos affectus, nullas cogitationes dilucidas excitent, exsibilari solet. Ego igitur carmina facio nec formalia nec informia, sed commotam speciei litterariæ vel significationis perspicuæ expectationem semper frustrantia. Nullus versus versum, nulla sententia sententiam rationi convenienter subsequitur. Simul atque incepi, mihi ab integro incipiendum est. » « Nescio » inquam « cur laborem incipiendi insumas, si inceptum in nihil statim venit. » « Bene quæris, » inquit, « sed, cum omnia nihil signifi-

cent, nihil respondere possum. Ut tamen perficiam sententiam meam, velim tibi dicere, unum quodque temporis momentum tam multiplex esse, ut id complecti nequeamus. Res, quandoquidem non comprehendimus, tractantes mentimur. » « Sed » inquam, « si res cognosci nequeunt, quomodo scimus utrum ea perscribentes mentiamur an verum dicamus ? » « Iterum » inquit, « petis responsum rationale, quod fieri non potest. Fortasse licet rem quodam carmine meo interpretari. »

Dum nos adimus ferias,
mansurum præsens constat tetigisse futurum.
credis nubila gibberum referre
ista camelum ?
et quocumque manus separata brachio vagatur
atque ignota mihi comitatur fidus Achates,
heu ! signum vitæ !
non fiet umquam, nec die crastino
nec prisca factum tempora proferunt,
sed palma tantum fiet conferta quæ se
sua vacuitate expleat,
et roget quid tempus, ætas, annus, hora sint, ubi
præterierunt.

« Noli, optime Peripedeme, » inquit « turbari mente confusa et incerta. Si enim res omni ratione carent, liberati possumus rebus fluentibus, ut dicam, ita insidere, ut exhilarati recreemur. » « Ista » inquam « sententia aliquid significare videtur. » Poeta risit et « Somnia ! » exclamavit. Quamquam mihi visum est comiter subridere, tamen stomachabar, quod Cinereus animadversionem serio dictam per iocum amoverat.

Cinereus me tradidit pictori, qui laudato ingenio tantumumeros contraxit. Attamen satis humanus fuit, qui me cum poeta ad suam officinam epulis illa nocte paratis vocaret. Poeta igitur me duxit ad magnum et vetustum mercium receptaculum in diætas et officinas iam conversum, ubi convivio valde festivo plurimi intererant artifices, scriptores, musici, histriones, diurnarii. Quorum vegetos libenter auscultabam sermones de novis operibus, exhibitionibus, rei publicæ largitionibus inlatis. Quidam scriptor divulgaturus erat diegema de tribus hominibus uno cubiculo inclusis et inter se magis magisque invisus ; pictor ostenturus in pinacotheca dignissima imagines morbis gravissimis conflictatorum ; musicus concentum daturus totum alea iacta compositum. Fere omnes, quos conveni, artifices feliciter, si fides sermonibus inerat, honorum cursu pergentes, et iucunda perficientes incepta, videbantur, ut ei qui vitam edicebant inanem, vitam agere consilio,

dignitate, præmiis refertam.

Dum palor per andrones ædificii, incidi in conclave, in quo sedebat iuvenis facie lachrimis maculata. Qui mihi quam mitissime percontato, an ei auxilio esse possem, porrecto brachio poculum tradidit et alterum temetum Scoticum rogavit. Quod cum adtulissem, mæstissimo eius vultu commotus paulisper morabar et, cum meminissem, facilius interdum esse ignoto quam amico dolorem effundere, manu in umero imposito, rogavi, an vellet curas communicando levare. Is, qui Cordus nomine fuit, dixit, se pessimam omnium diem modo degisse. Mane amicam, cui diutissime coniunctus esset, amores rupisse, et post meridiem se, qui poeta esset, centesimam accepisse editoris repulsam. Iam pridem constituisse, se, si centies repulsam ferret, litteras depositurum. Iam eundem diem et amicam et gloriæ curriculum abstulisse. Eius adversa dolebam et, « haud scio » inquam, « an nequeam tibi dicere quicquam, quod multum de amoribus amissis consoletur, nisi me quoque, ea, quæ carissima fuerit, amissa, profundæ derelictum solitudini, aliquid eius intellegere, quod patiaris. Quod attinet ad spes litterarias deceptas, quidni versificans perges ? Omnes enim scriptores, præcipue incipientes, plurimas ferunt repulsas. Sed una tantum submissione accepta, fortunam in manibus habebis. » « Numquam » inquit, « proficiam. Etenim ingenium poeticum mihi deest. Hoc mihi patet quotiescumque verum poetam ausculto vel lego. » « Tuum » inquam « scilicet ingenium æstimare nequeo, cui opera tua ignota sint. Sed etiamsi musam deposueris, non dubito quin alio suscepto curriculo vita tibi possit esse aliquid. » Ille me aspexit tamquam dementem. « Vita » inquit « nihil est. » « Nonne ars poetica, nedum tua cum amica consuetudo, tibi aliquid fuit ? » « Nec musa nec amor quicquam est. » « Quid ergo, » inquam « attinebat in eis, si nihil sunt, tantum temporis et operæ collocare ? » « Oportet diu viventes eligere aliquid faciendum, non propterea quod tanti est, sed quod horæ fallendæ sunt. » « Ergo, si omnia sunt nihil, non interest quid eligas, dummodo aliquid eligas. » « Acu tetigisti. Non interest quid eligam. Cur igitur eligam quicquam ? Plane omnia inania sunt. » Veritus ne hic interrogationum contextus haud bene eveniat, sermones in argumenta magis confirmantia flectebam, cum « Nonne intelligis » inquit propemodum exclamans, « omnes, qui adsint, præter me, prosperis exsultare ? Ego ingenio deficiens, ego amore, sodalitate, fortuna relictus, nequeo ferre æstantem, qui mihi suffunditur, pudorem. » « At » inquam, « si amor, sodalitas, fortuna sunt inanes, qua de causa, cum hæc inania consecutis nequaquam prosit, condicionem tuam

doles ? » « Quia » inquit iratus, « doleo. » Cum intellexissem mea consolatoria non solum non prodesse, sed etiam nocere, Cordum quam amicissime valere iussi et, optatis omnibus faustis, abii.

Post unam hebdomadem Cinereo forte incurri pulato. « Audistin ? » inquit. « Tres ante dies Cordus amoribus musisque desperatis mortem sibi conscivit. » Dixit se ad exsequias festinare et, me vocato, ut comitarer, nos contulimus ad cœmeterium. Ibi comperimus satis magnam amicorum mœrentium convenisse frequentiam. Poetæ sepulchrum circumstantes de omnium rerum inanitate recitabant. Cum putavissem Udenienses, qui omnia nihil esse asseverarent, amicum quoque inter nihili æstimanda numerare debere, miratus sum tot effusas lachrimas. Quamvis fletus indicarent, præcordia esse humana, tamen vita philosophiæ, philosophia vitæ repugnante non solum mente turbatus, sed etiam indignatus, ubi funus peractum est, ad Cinereum conversus, « Non intellego. » inquam, « Udenienses dicitis nihil quicquam esse, nihil ullius æstimandum, et tamen amicum eiusque fatum defletis. Si id verum est, quod dicitis, num interest utrum vivat annon ? » « Etsi, » inquit, « non interest, tamen sunt qui mærent. Mærere demens est, sed vita demens est. » « Hoc demens est » inquam paulo succensus, « magnam amissionem affectibus affirmare, verbis negare. Cur vos pictores et poetæ et musici, quamvis omnia nihili faciatis, tamen vitæ gloriæque curriculo ita adhæretis, magna consilia ita instituitis, maximis laboribus ita

incumbitis, ut putares, hæc vos summi æstimare. » Cinereus eo contractorum gestu umerorum, quo nullus Udeniæ gestus vulgarior fuit, « Iterum » inquit, « rationem petis. » « Haud dubie, » inquam, « peto. Homo enim propterea mortuus est, quod calamitatibus afflictus et persuasum id habens, nihil ullius æstimandum vel esse vel esse posse, non credebat operæ pretium esse, se ipsum servare. » « Flebile sane est. » « Hoc » inquam, « flebile est, quod dicitis nihil quicquam significare. Quodsi res ita se habet, ista sententia nihil significat, quia, si vera est, falsa est. Vos poetæ, si omnia verba vi pariter carent, quomodo hoc vocabulum potius quam illud eligitis ? Et tamen omnibus profecto operibus vestris quædam ratio inest. Ille quoque musicus, qui symphoniam alea iacta composuit, ratione modos fecit, quia inanis componendi ratio haud inanis fuit, quæ philosophiæ vestræ responderit. Sed quomodo ulli sententiæ creditis, si nulla sententia habet talem vim, quali credatis ? Et tamen omnes facitis, quasi aliquid crederetis. » « Aliter » inquit incandescens, « vita esset intolerabilis ! Eo pingimus, versificamur, modos facimus, ut vita aliquid pretii habere videatur. » « Et » inquam, « facitis tabulas, carmina, modos, ut ea solacia, stulta ac vulgaria asseverata mendacia ad pretium vitæ pertinentia, aliis adimatis, quæ vobismet ipsis conservatis. Et curriculum vitæ facitis asserentes nihil pretii esse, ut aliquid pretii vobis sit. » « Ergo » inquit Cinereus, oculis infensis me despiciens, « agito mecum lege. » ❧



CAVE PHILOSOPHVM OBSCVRVM - ET CLARVM!

– monet Samius Jansson –

Si volumus clare et distincte de novis rebus recenter repertis loqui, lingua est renovanda – et si volumus scientiam hodiernam indocto vulgo explicare, lingua qua utimur maximi est momenti. Quomodo possimus veritates scientiæ hodiernæ indoctis explicare qui nesciunt linguam scientificam? Multi certe respondent « nulla ratione ». Atqui cur putaremus indoctos socios semper esse hebetes qui altas res parum cogitare valerent? Nonne potius doctorum res novas vulgari intellectui explicandi impotentia monstrat doctos loqui pessime de sua arte? Vitium forsitan non in vulgari sit intellectu sed in doctorum sermone. *Solis etenim in uno convenientibus actu eadem loquela remansit: puta cunctis architectoribus una, cunctis saxa volventibus una, cunctis ea parantibus una; et sic de singulis operantibus accidit. Quot quot autem exercitii varietates tendebant ad opus, tot tot ydiomatibus tunc genus humanum disiungitur; et quanto excellentius exercebant, tanto rudius nunc barbariusque locuntur.*¹

Philosophi recentes, ut Bertrandus Russell et Rudolphus Carnap, censuerunt vocabularium Cartesianum esse vetustum et quam vetustissimam notionem substantiæ.² Post Renatum Descartes, qui credebatur corpus esse rem extensam et animum non extensam sed cogitantem rem, neurologia hodierna reiecit notionem « substantiæ cogitantis ». Animus non potest seiungi a corpore. Simul ac corpus moritur, tum etiam animus moritur. Nascimur, vivimus et morimur. Nam nihil possumus dicere de animo quod non possit esse verum de corpore. Cerebrum cogitat, sentit etc. Humanum igitur corpus esse moriturum et cogitans omnibus patet. « Animus » igitur supervacua notio est. Ideo « animus immortalis » est notio plane erratica. Nihilominus ut plurimi nostrum, sic etiam neurologi utuntur vocabulario Cartesiano, dum loquuntur de vita, de affectionibus, de mente, de animo, de passionibus etc. Physicus Wernerus Heisenbergius monet scientiam post Galileum, Cartesium et Isaacum Newton sæculo undevicesimo tandem refutavisse omnes veteres notiones de Deo, animo, substantia etc., quo facto scientiæ naturalis obiectum investigandi nihil est aliud quam materia. Ita ii, qui hodie de rerum natura scribunt, nihil certi dicere audent priusquam verba sua confirmarunt sensuum observationibus, quas sibi apparatus technicis subtilissimis ceperunt. Vocabulario metaphysico Cartesiano repulso physici tamen methodum servavere Cartesianam. Tale enim est propositum Cartesianum: *[multi] sæpe adeo inordinate difficillimas quæstiones examinant, ut mihi videantur idem facere, ac si ex infima parte ad fastigium alicujus*

*ædificii uno saltu conarentur pervenire, vel neglectis scalæ gradibus, qui ad hunc usum sunt destinati, vel non animadversis. Ita faciunt omnes Astrologi, qui non cognita cælorum natura, sed ne quidem motibus perfecte observatis, sperant se illorum effectus posse designare. Ita plerique, qui Mechanicis student absque Physica, et nova ad motus ciendos instrumenta temere fabricant. Ita etiam Philosophi illi, qui neglectis experimentis veritatem ex proprio cerebro, quasi Jovis Minervam, orituram putant.*³

Physices classica accipit notiones « spatii », « temporis », « materiæ » et « causalitatis », sed physici non loquuntur de notionibus veteribus: « creatio », « mens », « animus », « vita », « Deus ». ⁴ St. Augustinus iam mirabatur, an tempus vere potuisset esse a Deo creatum. ⁵ Qui igitur hodie adhibent has veteres notiones: « creatio », « mens », « animus », « vita », « Deus », ii repelluntur e media scientia hodierna ut superstitioni. Hæ enim omnes, « creatio », « mens », « animus », « vita », « Deus », problematicæ valde et ambiguae notiones sunt, quam ob rem physici et philosophi hodierni de eisdem rebus nolunt serio disputare. Nihilominus Wernerus Heisenbergius monuit præter has veteres notiones etiam physicorum hodiernorum notiones « spatium », « tempus », « materia » et « causalitas » etc. nullo modo esse expeditas. Nam omnia verba esse ambigua.

Sine novis verbis docti nihil ulterius possent de inventionibus suis dicere quam ut Ludovicus Wittgenstein: *Tacendum est de ea qua de re loqui non possumus.* ⁶ Docti igitur nova verba fingunt, ubi vetera verba iam occupata non licet adhiberi. Verum, ea ratione vulgo nova verba ignoranti nihil umquam poterunt iidem docti explicare nisi prius explicaverint, quid significant nova verba. Hoc autem non possunt facere nisi veteribus verbis adhibitis. Heisenbergius scribit: *Nullæ notiones aut verba, quæ ficta sunt propter interactionem inter nos ipsos et mundum, exactam significationem possunt habere. Non igitur possumus exacte scire, quanto ulla verba nobis auxilio sint, ut per ea rerum naturam clare intellegamus. Sæpe enim scimus ea late attingere nostram experientiam de rebus internis [id est, quæ accidunt in corpore nostro] vel externis sed nunquam possumus exacte describere fines ultimos quos verba nostra non possent transire. Hoc est verum etiam de talibus simplicibus et communibus notionibus, ut « existentia », « tempus » et « spatium ».* ⁷

Heisenbergius ita valde præcipuus erat doctus, ut simul ac Nobeliano præmio ornatus esset physicus,

idem vir clarissimus etiam feliciter potuit transire ad philosophiæ regnum et philosophica argumenta excogitare. Vice versa, nonnulli postmoderni philosophi vocabula mathematica ac notiones physicorum suam forsitan credibilitatem augere cupientes methodosque logicas usurpassent, ut indocto vulgo vel doctis videlicet sed artis mathematicæ imperitis quidem intus in aures farcirent et sub oculos truderent sua argumenta obscura. *Ei nos facitis fabricis et doctis dolis glaucumam ob oculos obiciemus eumque ita faciemus ut quod viderit non viderit.*⁸


Alan Sokal et Jean Bricmont scripserunt opus, cui titulus est *Impostures intellectuelles*, in quo demonstrant aliquorum postmodernorum philosophorum valde obscuras cogitationum ambages. Inter hos philosophos dubiosos numerant talia clarissima nomina ut Julia Kristeva, Jacques Lacan, Luce Irigaray, Bruno Latour, Jean Baudrillard, Paul Virilio, Gilles Deleuze et Felix Guattari. Deleuze et Guattari Gallice scripserunt opus cui titulus Gallicus est *Qu'est-ce que la philosophie ?* (1991). Ex eo primum volui excerptum quoddam vobis Latine vertere, sed postquam nonnullas lineas legi, ab ea opera me recepi, nam auctorum eisdem operis cogitata parum intellego. Sed aliquid veritam vobis ex scriptis Jacobi Lacan et Luciae Irigaray.

Jacques-Marie-Émile Lacan (1901-1981) perceleber psychoanalysta et philosophus postmodernus erat. In Vicipædia Gallica (http://fr.wikipedia.org/wiki/Jacques_Lacan) symbola divulgata est de Jacobo Lacan et de eius philosophiæ reprehensione, quam proposuerunt Alan Sokal et Jean Bricmont. Iuvat hic Jacobi Lacan philosophiæ flosculos Latine convertere aliquos.

Anno 1966 Jacobus Lacan rettulit de philosophia sua ad Johns-Hopkins studiorum universitatem in conventu cui nomen erat *Les Langues critiques et les sciences de l'homme*. Ecce excerptum, quod selegerunt Bricmont et Sokal quodque ego ex Gallico sermone Latine converti : *Hoc diagramma [tænia Moebii⁹] potest concipi sicut certæ inscriptionis necessarium fundamentum, ex quo constat principium nodi de quo hic agitur. Hoc latius attinet quam fingere possitis prima fronte, nam potestis quærere speciem superficiæ, quæ potest recipere tales inscriptiones. Forsitan videtis sphaeram, illud totalitatis vetus symbolum, non esse aptam [ad hunc finem]. Torus, lagæna Kleinii, superficies « cross-cut »¹⁰ possunt recipere talem sectionem. Hæc diversitas maximi est momenti, nam per eam possunt explicari multæ res, quæ attinent ad structuram morbi mentalis. Si hanc pos-*

*sumus illustrare per illam sectionem fundamentalem, simili modo possumus monstrare tori sectionem respondere ad rem neuroticam, et sectionem superficiæ « cross-cut » ad certam alteram speciem morbi mentalis.*¹¹ Fieri potest, ut ego pessime intellegam sermonem Gallicum et artem topologicam ac proinde tam obscure converterim verba Jacobi Lacan. At certe, difficile est intellectu qua ratione topologia et psychologia possint iungi.

Luce Irigaray (nata 1930) est notissima philosopha et feminista (http://fr.wikipedia.org/wiki/Luce_Irigaray) Belga. Jacobi Lacan instar Lucia Irigaray adhibet terminologiam physicorum suo arbitratu : *Estne E = Mc² æquatio sexualis ? Sic fortassis. Proponamus nunc hypothesin istanc esse sexualem hoc respectu quod eadem æquatio præfert velocitatem luminis aliis velocitatis speciebus, quæ nobis sunt vitales. Quod mihi videtur indicare æquationem quancunque esse sexualem, non est hoc, quo utilior eadem æquatio sit ad armamenta nuclearia paranda, sed hoc, quantum privilegium illa inroget rei omnium velocissimæ.*¹² Hodie hanc celeberrimam ab Alberto Einstein inventam æquationem $E = Mc^2$ etiam magna pars vulgi cognovit. E = energia, M = moles, c = celeritas luminis. Einstein ita monstravit materiæ inesse immensam quantitatem energiæ. Sed cur Lucia Irigaray æquationem hanc vocat sexualem ? Vultne dicere Albertum Einstein fuisse virum nimis libidinosum ? Verum tamen eius cogitata melius intellegere possumus, si memoria tenemus eam velle hic demonstrare scientiam hodiernam esse mœnia masculinitatis.



Quid iudicaret Renatus Descartes de his philosophis postmodernis Gallicis? Is quidem acriter obscuros philosophos condemnat: *certissimum enim est, per ejusmodi studia inordinata, et meditationes obscuras, naturale lumen confundi atque ingenia excæcari; et quicumque ita in tenebris ambulare assuescunt, adeo debilitant oculorum aciem, ut postea lucem apertam ferre non possint; quod etiam experientia comprobatur, cum sæpissime videamus illos, qui litteris nunquam operam navarunt, longe solidius et clarius de obviis rebus judicare, quam qui perpetuo in scholis sunt versati.*¹³ Vetus philosophus René Descartes tradidit methodum, quam acceperunt docti posterius inter quos etiam Bertrand Russell, Werner Heisenberg et Ludwig Wittgenstein numerantur, quam autem infelicissime perdiderunt philosophi quidam celeberrimi, Renati Descartes concives hodierni. Renatus Descartes similia censuit de vulgari intellectu ac Dante Alighieri, nam *Dissertationis de Methodo primam partem* scribere incepit primo dicens bonam mentem esse communem omnibus, non solum doctis, nam nemo sibi validiorem cogitandi facultatem optet, ne quidem ulli ex iis, qui aliter valde incontenti sint.

Philosophus Finnis Georgius Henricus von Wright scripsit Renatum Descartes, Franciscum Bacon et Galileum Galilei reliquisse nobis problemata quædam philosophica, ex quibus nos ipsos non iam possumus expedire: 1) hominem esse distinctum a natura propter intellectum humanum ac ipsum hominem (præcipue virum) esse rerum investigatorem et ingeniarium, qui novis inventis suis rerum naturam cupiat et valeat sub potestatem suam subicere; 2) corpus mortale esse distinctum ab animo immortalis; 3) arbitrium humanum esse liberum sed naturam fungi secundum leges naturales, de quibus investigando nos ipsos possumus certiores facere.¹⁴ Hominem autem non esse distinctum a natura, animum non a corpore distinctum, arbitrium humanum non liberum, hæc omnia methodo Cartesiana ipsa demonstrata sunt. Quid nobis usui erat excursio Cartesiana? Nonne dumtaxat nunc plus sumus privati corporibus nostris et natura rerum quam ante argumenta dualistica proposita? Hodie scientia, technologia et industria humana secundum principia Cartesiana clara et distincta regunt vitam nostram. Technologia sive ratio instrumentalis, ut dicunt Max Horkheimer et Theodor W. Adorno, est hodie essentia scientiæ.¹⁵ Atqui ratio instrumentalis nos non docet, cur aliquid sit faciendum, sed tantum id, quomodo possumus obtinere id quod quærimus. Alasdair MacIntyre in opere cui titulus « *Post virtutem* » (*After*

Virtue, 1981) monet hominem hodiernum perdidisse finem vitæ postquam novi philosophi reiecerunt Aristotelicam philosophiam et physicen. Aristoteles censuit hominem vivere eum ad finem, ut virtutes humanas colat ideoque fiat melior homo. Homo autem hodiernus oblitus est, cur vivat, postquam ratio instrumentalis, quam novi philosophi vocarunt lumen, extinxit rationem finalem. ❖

1. Dante Alighieri *De vulgari eloquentia*, liber primus, cap. VII, 7.
2. Vide præfationem, quam scripsit F. S. C. Northrop ad opus Werner Heisenbergii de physica et philosophia (*Physics and Philosophy: The Revolution in Modern Science*, 1958).
3. Renati Descartes *Regularum ad directionem ingenii V regula*.
4. Vide Heisenbergii op. cit. cap. XI.
5. St. Augustini *Confessiones*, liber XIII, 29: *Verbo Dei non accedit tempus*.
6. Wittgenstein, Ludwig (1933): *Tractatus Logico-Philosophicus – Logisch-philosophische Abhandlung*, propositio VII. Vienna.
7. Heisenbergii op. cit. cap. V. N. b. Latine converti ex versione Finnica, quam finxit Risto Vilkkko (Jyväskylä 2000).
8. Plauti *Miles gloriosus*, 147-9.
9. Tænia Moebii est circulus factus ex longa tænia rectangulari semel contorta et partibus extremis iuncta ita, ut superficies tæniæ intima evertatur et porro fiat extrema superficies et sic iterum retrorsum.
10. Torus, lagoena Kleinii et superficies « cross-cap » (*non cross-cut* !) sunt diversæ superficierum formæ sicut tænia Moebii.
11. Lacan, Jacques (1970): « De topologia psychoanalytica ». Excerptum datum in libro *Impostures intellectuelles*, 56-7, auctoribus Alan Sokal & Jean Bricmont, Lutetiæ 1997.
12. Irigaray, Luce (1987): *Sujet de la science, sujet sexué*? Excerptum datum in libro *Impostures intellectuelles*, 158-9.
13. Renati Descartes *Regularum ad directionem ingenii IV regula*: « *Necessaria est methodus ad veritatem investigandam* ».
14. Georgii Henrici von Wright (1986). *Vetenskapen och förnuftet. Ett försök till orientering*. (« Scientia et ratio humana. Conatus ad cursum dirigendum »), cap. V de novis cogitandi rationibus.
15. Max Horkheimer et Theodor W. Adorno (1944). *Dialectic of Enlightenment (Dialektik der Aufklärung)*, 4, (engl. John Cumming 1972).

SIBI SAPERE

– scripsit Francisca Deraedt –

Mihi sapio, ait Erasmi Antronius. ¹ Nec solus est Antronius : omnis homo sibi sapit. Omnes quidem putamus nosmet ipsos esse intellegentia præditos. Quis enim umquam dicit se esse stultum, nisi falsa modestia motus, aut laudem quærens ? Verus autem stultus nimis stultus est, quam ut intellegat se intellegentia carere.

Et tamen verum est : omnes sumus intellegentes, saltem aliquo modo. Hoc ante viginti quinque annos demonstravit professor Howard Gardner, Americanus, qui docet in academia Harvard Graduate School of Education nominata (in Massachuseta). ² Idem tum temporis cum collegis observavit pueros parum, satis aut maxime dotatos, incubuit in scientiarum historiam et legit innumera opera psychologica. Ex his longissimis investigationibus conclusit nostrum ingenium octo diversis facultatibus ornatum esse. Octo... et fortasse novem.

At imprimis, quid est intellegentia ? Intellegentia, ait professor Gardner, est facultas difficultates solvendi et res conficiendi, quæ hominum societati sint utiles. Octo sunt genera :

1. Intellegentiam linguisticam habet is, qui sermone scit exprimere propria cogitata. Ille erit orator, legatus, advocatus, magister, scriptor, poeta, aut saltem aliquis, qui bene se defendere valebit in amphitheatro vitæ hodiernæ. Hæc est etiam intellegentia inter omnes maxime communis.

2. Intellegentiam logico-mathematicam habet is qui facile discit mathematicam scientiasque. In nostro cultu civili hæc duæ facultates, linguisticam dico et logico-mathematicam, multo magis coluntur quam ceteræ. Et probationes, quibus cerebri facultates æstimantur, spectant ad eas solas. Recordamini : omnes in schola aliquando probationem passi sumus, qua mensuraretur nostrum « Q.I. » (i.e. quotum intellectuale). Solvenda fuerunt problemata non pauca, et postea nobis tributus est numerus sive superior sive inferior numero 100 ; infra hunc limitem iacent ingenia debilia, supra ingenia acuta. Attamen, si fuistis infra, nolite angi, ac si supra fuistis, superbire nolite, nam hoc probationis genus multis nunc videtur inane.

3. Intellegentiam musicam habet is, qui rhythmum et musicam scit agnoscere, interpretari, creare.

4. Intellegentiam cineticam sive corporalem habent saltatores, athletæ, chirurgi, fabri, omnes qui corpore uti sciunt.

5. Intellegentiam spatialem habent nautæ, ingeniarum, architecti, sculptores, pictores, photographi, omnes qui spatium sciunt mente apprehendere.

6. Intellegentiam sociale (« interpersonallem » dicunt) habent politici, mercatores, magistri, sacerdotes, omnes qui sciunt homines intellegere. Hæc est facultas et utilis et etiam, fortasse, nonnumquam aliquatenus periculosa.

7. Intellegentiam internam (« intrapersonalem » dicunt) habent ei, qui se ipsos accurate cernentes vitam propriam recte gubernare sciunt. « Nosce teipsum ». Socrates in hac re primus fuit magister.

8. Intellegentiam naturalisticam habent venatores, piscatores, zoologistæ, coqui, omnes qui sciunt partes naturæ agnoscere et adhibere.

Nunc insuper paulatim proponitur nonum intellegentiæ genus : intellegentia existentialis ; eam habent ei, qui magnas quæstiones philosophicas movent : « Qui sumus ? Quo imus ? Cur morimur ? »... etiam si his quæstionibus nemo respondere valet.

Hæc octo (et fortasse novem) facultates nobis omnibus sunt innatæ, sed postea in singulis diversimode crescunt et per totam vitam sunt mutabiles. Nec solum ad hereditatem pertinent, sed etiam ad experientiam. Exempli gratia, taxirædarii Londinienses maiorem hippocampus habent (partem cerebri dico, non bestiolam) quia formam urbis memoriter tenent, et clavicines maiorem habent partem corticis motorii, quæ ad digitos pertinet.

At quomodo hoc sciunt ? Aperueruntne umquam calvariam alicuius taxirædarii Londiniensis ? De hac re dubitare licet. Tamen, curiositate impulsus, homines docti postquam obiit calvariam aperuerunt Alberti Einstein, cuius severam faciem admirari potuistis pagina 13 huius fasciculi. Et quid intus invenerunt ? Vix quicquam.

Albertus Einstein mortuus est anno 1955, 76 annos natus, ruptura aneurismatis aortæ abdominalis. Cum vivus declaravisset se cerebrum suum dare velle scientiæ, medici assentiente familia paucis horis postquam magnus vir de vita decessit cerebrum extraxerunt, pependerunt, mensuraverunt, inspexerunt omnibus modis. Nulla anomalia neuropathologica inventa est. Nihil magni, nihil parvi. Solum atrophiam quædam circa regiones medias, ut apud seniores fieri solet. Et parvula anomalia morphologica in fissura a Sylvio nominata, re vera nullius momenti. Ergo cerebrum commune.

Quidquid id est, investigatores quærere pergunt in qua cerebri parte resideat intellegentia. Ope autem instrumenti scannerici positrona emittentis, ³ conspicitur cerebri irrigatio sanguinea. Si, cum aliquid agimus, maior sanguinis copia fluit ad aliquam cerebri partem,

inde colligere possumus hanc cerebri partem maiore energia egere, id est, magis laborare. Atque ergo, factis experimentis, videtur pars quædam lateralis corticis frontalis esse in culpa, sive in altero sive in utroque hemisphærio. Sic saltem aiunt quidam.

Inde enim non est causa finita. Disputatio iam vetus, utrum sedes intelligentiæ sit uno cerebri loco constituta an ubique cerebri diffusa, acris manet et verisimiliter diu manebit, cum argumenta utrimque allata non sint vere tangibilia.

Sed redeamus ad nos. Quæ, qualis, quanta est intelligentia nostra propria?

Probationes, quæ nunc exstant, scriptis interrogationibus ostendunt intelligentiam linguisticam et logicam, sed quomodo intelligentiam sociale cernere vis quæstionibus, quibus respondendum est « ita » aut « non »? Alia hic est ratio: oportet candidatum in conclavi includere, in quo homines altercantur, et observare quo modo idem sermones placare valeat. Intelligentia spatialis in territorio incognito temptatur, intelligentia cinetica saltatione æstimari potest, et ita

porro. Certe hæc omnia non tam facile fiunt, quam illa simplex probatio scholaris omnibus nota. Et tamen, si hæc variæ facultates accuratius scrutarentur apud adulescentes, multi viam suam facilius invenirent.


Nunc autem quid fit de his facultatibus: possumusne eas reddere meliores? Certissime. Imprimis eligere oportet eam facultatem, quam augere cupimus. Deinde, eam constanter atque identidem exercere. Procul dubio, bonum magistrum, bona instrumenta sibi comparare. Sed imprimis: multum velle. Nihil difficile volenti! ❀

1. Erasmi *Colloquia*: Abbatis et eruditæ.

2. « Plusieurs types de capacités distinctes et indépendantes », propos recueillis par E. Sender, *Sciences et Avenir*, 741, nov. 2008, p. 68.

Imaginis origo: H. Ferner, J. Staubesand (ed.), *Sobotta Atlas of Human Anatomy*, München-Baltimore, Urban & Schwarzenberg, 1982, I, p. 89.

3. PET = Positron Emission Tomography.



In hoc fasciculo !

De sicario Gandavensi [Th. Sacré] p. 1
De Romano imperio orientali (II) [G. Licoppe] p. 5
Peripedemi periegesis (III) [B. Walton] p. 9
Cave philosophum obscurum - et clarum ! [S. Jansson] p. 12
Sibi sapere [F. Deraedt] p. 15

Imago tegumenti : mensis Aprilis, Horæ ad usum Romanum, sæc. XVI, imago sumpta ex : J. Dalarun (ed.), Le Moyen Âge en lumière, Paris, Fayard, 2002.

LATINE LOQVI...

CONVENTICVLVM BOSTONIENSE

Ad litus maris... Dermutæ in oppido Massacusetano, d. 1-9 m. Aug. 2009.
¶ <http://ccde.umb.edu/summerinstitute/latinbysea>

CONVENTICVLVM LATINVM VASINTONIENSE

Seattli, d. 2-8 m. Iulii 2009 ; sessiones præparatoriæ duobus diebus ante.
¶ <http://commons.wvc.edu/sberard/boreoccidentales>

CONVENTICVLVM LEXINTONIENSE

Lexintoniæ in America, d. 6-14 m. Iulii 2009.
¶ <http://www.uky.edu/AS/Classics/aestivumlat.html>

CONVENTVS ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

Ratisbonæ in Bavaria Germaniæ, d. 15-19 m. Septembris 2009.
¶ <http://academialatina.org>

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Frigoletensis, 16-23 m. Iulii 2009.
¶ www.friigolet.com

MELISSÆ NAVIGATIO LATINA

Secundum litus antiquæ Cariæ, d. 22-29 m. Augusti 2009.
¶ <http://web.me.com/fundatiomelissa> > iter Latinum

RVSTICATIO VIRGINIANA

In America, 13-19, 20-26 m. Iulii 2009.
¶ <http://www.latin.org>

SEPTIMANA AMCENEVVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 25 m. Iulii - 1 m. Augusti 2009.
¶ <http://www.septimanalatina.org>

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Tria seminaria, 18-21 m. Iunii, 2-8 m. Augusti, 16-22 m. Augusti 2009.
¶ <http://www.voxlatina.uni-saarland.de>

SEMINARIVM VINDOBONENSE

A L.V.P.A. institutum, 2-8 m. Augusti 2009.
¶ <http://www.lvpa.de>

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$
Banque ING : 310-0644994-30,
Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430



MELISSA